

Pontificem effiavit, melius est tacere, quoniam me p... Quid ergo dices ad hæc Lutheræ? Si tibi licet injuriam...

JOANNES BAPTISTA

Bernardus de Lutsemburgo in suo Cathalogo hereticorum de Manichæis loquens, dicit illos ita desiderasse, ut dixerint Jonnem Baptistam, Christi Salvatoris...

Ex quibus convincimus Joannem per illam interrogationem minime (ut Manichæi dicunt) peccasse. Quod autem dicitur Joannem Baptistam ex incredulitate...

merces illi pro traditione donata sit merces iniquitatis? Si triginta argentei sunt merces iniquitatis; ergo traditio, pro qua illi argentei donati sunt, est iniqua...

cilio Nicæno sic dicitur: Venturus est judicare vivos & mortuos. Et in simbolo factio in Concilio Constantino...

ius minister est iudex? Valeant ergo Vvaldenses, & cum sint omnium hæreticorum ignoratissimi, docere alios erubescant. Quod autem pro se adferunt, nihil profus illis suffragatur: quoniam cum Salvator ait: (Matt. 7.) *Nolite iudicare, & non iudicabimini*: non prohibuit omne iudicium, præcipue iudicis habentis potestatem, sed prohibet multorum hominum leve iudicium, qui re minime cognita, sed ex minutulis suspicionibus colligentes, statim apud se definiunt, censentes talem esse malum, aut male aliquid voluisse facere. Hoc, inquam, iudicium Dominus prohibet: non autem illud quod re prius (ut decet) bene cognita, ab habente potestatem profertur. Hoc autem ita esse convincimus per id quod apud Joam. 6. 12. idem Salvator ait: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate*. Quibus verbis cum unum iudicium prohibet, videlicet leve: aliud aperte concedit nempe iustum, quod re prius plene circumspecta iuxta æquitatem fit.

**I**NTER cæteros errores quos Vvaldensibus impingit Guido Carmelita, unus est quo asserunt Christianis esse invidium iuramentum, sic ut nusquam jurare liceat. Eundem errorem tribuit Catharis quod valde miror: quoniam Cathari iidem sunt qui & Novatiani. At Novatianus nullus umquam aliquid simile impiegit, sed catalogus hæreticorum de Albanensibus differens, dicit esse alios quosdam Catharos, quos in tres partes asserit esse paritos. Albanenses dicit esse de prima secta Catharorum, & Cozocenses de secunda, & Bajolenses de tertia. Et si hi dicuntur Cathari, alii sunt certe à Novatianis, qui primi Cathari vocati sunt, propter munditiam quam jactabant. Nulla est enim Novatianorum ad hos Catharos conventio. Quapropter constat misere errasse Guidonem Carmelitam qui cum de erroribus horum Catharorum diserte incipit, dicit se jam alias de illis dixisse: per quæ verba satis aperte innuit, se sentire hos Catharos & Novatianos esse eodem, cum tamen hi Cathari longissime absint ab aliis Catharis qui Novatiani dicuntur.

**H**ic de quibus nunc loquimur, non Cathari, ut Guido & catalogus eos appellant) sed Catharistæ dicendi sunt. Nam sic eos appellat beatus Augustinus, ut supra offendimus in titulo de cibo, hæresi prima.

Hunc etiam errorem docuerunt Pseudoapostoli. Ad hunc autem errorem convincendum sufficit illud quod Dominus in Deuteronomio ait cap. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Et iterum cap. 10. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ipsique adhærebis, iurabisque in nomine illius.* Verum hic respondent qui hunc errorem tutantur, hoc permittum esse Judæis in veteri lege, ut videlicet per Deum jurarent: Christianis autem, qui perfectionem habent legem, hoc dicunt non esse licitum, eo quod Christus apud Matthæum cap. 5. *in universum prohibuit jurare.* Et hanc sententiam confirmant testimonio Hieronymi & Theophylacti, qui exponentes quintum Matthæi caput, dicunt Judæis fuisse permittum iuramentum, Christianis autem omnino prohibitum. Et idem videntur sentire Hilarius & Chrysostomus in eodem loco, quamquam hi non ita expresse dicunt sicut illi. Sed hoc rejicitur ex eo quod Deum sæpe jurasse reperimus. At si iuramentum esset ex se malum, ut ex sola permissione Judæi jurare possent, Deus qui male agere nequit, omnino non jurasset. Et huic objectioni respondent iuramentum soli Deo convenire, quoniam ille solus verax est, & mentiri nequit: om-

nis autem homo mendax est. Et hanc sententiam confirmant testimonio Ambrosii super Psalmum 118. Sed neque hac via effugere poterunt, quin ostendamus illis iuramentum esse homini licitum. Negare enim non possunt Apostolum Paulum pluries jurasse: quoniam in ea quæ est ad Romanos epistola cap. 1. sic ait: *Testis est mihi Deus quod memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Et iterum alibi: (2. Cor. 1.) *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum.* Et iterum: (Philip. 1.) *Testis est mihi Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.* Ecce Paulum toties invocantem Deum in testimonium suorum verborum. At qui per Deum jurat, nihil aliud facit quam Deum invocare in testem eorum quæ dicit: ex quo aperte colligimus Paulum jurasse. Non est ergo Christiano viro omnino prohibitum iuramentum: quoniam alias Paulus jurans peccasset. Præterea, iuramentum non est de se malum, immo bonum, si adint ea quæ requiruntur: quoniam per iuramentum exhibemus reverentiam Deo, & ostendimus qualem existimationem de Deo habeamus, quoniam sic jurantes per Deum, testamur nos credere Deum videre omnia: quoniam qui rem non plene agnoscit, non potest esse bonus testis. Ideo sapienter, Poeta comicus dixit: Pluris est oculus testis unus quam auriti decem. Ostendimus etiam nos credere Deum esse veracem, qui mentiri non potest. Quia ergo credimus Deum talem esse qui omnia novit, & qui mentiri non potest, ideo in confirmationem eorum quæ dicimus, juramus per Deum, invocando illum testem. Ex quo patet per iuramentum nos revereri Deum, si cætera adint quæ ad iustum iuramentum exiguntur. Cujus rei apertum est indicium, quod in Deuteronomio cap. 6. quoque de iuramento fit mentio, semper subiungitur post præceptum de adoratione: *Dominum Deum tuum (inquit) adorabis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Et iterum: (Deut. 10.) *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ipsique adhærebis, iurabisque in nomine illius.* Ecce iuramentum bis conjunctum adorationi & servituti Dei. Si ergo bonum est Deum adorare, & illi servire, bonum etiam erit per nomen illius jurare, modo id debite & prout decet fiat. Rursum, iuramentum licere Christiano confirmatur plurimorum Conciliorum definitioibus. Concilium Ephesinum scribit Nestorio, ut recantet suas hæreses, & quia non fidebat Concilium verbis Nestorii, exigat ab eo iuramentum per hæc verba: Sed consequens est etiam iurjurando fateri te, quod anathematizes quidem tua polluta & prophana dogmata, sentias autem & doceas quæ nos universi per orientem seu per occidentem Episcopi & magistri præfulesque populorum credimus & docemus. Hæc Concilium Ephesinum. Et Concilium Constantiense sessione octava damnavit quadraginta quinque assertiones Joannis Vviclephi, inter quas quadragesimotertio loco ponitur hæc de iuramento, qua ait: *Juramenta illicita sunt quæ sunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia. Quæ sententia simul cum aliis ejusdem una super omnes dicta censura damnata est. Et idem Concilium Constantiense, sessione vigesima decernit ut ad confirmationem pacti initi inter regem Romanorum et regem Aragonum pro schismate tollendo, iuramentum ab omnibus pereretur, & omnes postmodum in Concilio existentes à maximo usque ad minimum jurarunt. Sed superest ut objectioni adversario- rum respondeamus. Sic enim objiciunt: Dominus apud Matthæum cap. 5. prohibet iuramentum, dicens: *Ego**

*autem dico vobis non jurare omnino: neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolimam, quia civitas est magni regis, neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sic autem sermo vester est, est, non non: quod autem abundantius his est, à malo est.* Et beatus Jacobus cap. 5. ait: *Ante omnia autem fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sic autem sermo vester est, est, non non, ut non sub iudicio decidatis. Huic objectioni multiplex respondemus. Primo in illis verbis Salvator non prohibuit jurare per Deum, & hoc annotavit Hieronymus in illo loco. Quod autem dicit: omnino non esse jurandum, non est omnis iuramenti prohibitio, quia illa verba referuntur ad sequentia, ita ut omnino non sit jurandum per cælum aut terram, ita videlicet ut cum jurandum per sit, numquam tamen juretur per cælum & terram. Causa autem hujus prohibitionis fuit, ac per illa selementa jurantes homines, illa tamquam numina quædam venerentur: quoniam illud per quod quis jurat, aut nimium diligit, aut veneratur. Ne igitur illa venerentur, aut plus debito diligerent, prohibet ne unquam per illa juretur. Et hoc etiam fatetur Hieronymus, & Theophilactus in illo loco, quorum auctoritate se tenent hi qui partem oppositam docent. Et cum hoc illi fatentur, miror quid postea cogesserit eos, ut censent iuramentum esse profus interdictum. Sic enim Theophylactus ait: *Igitur Dominus prohibens eos, non dicit, quia pulchrum & magnum est cælum, & terra utilis est; ideo per ea non jurare: sed quia cælum thronus est Dei, terra autem scabellum pedum ejus, ut ne sit locus idololatriæ. Forte enim in deorum numerum facta fuissent elementa à jurantibus per eam, id quod antea fatum est. Hæc Theophylactus. Et eandem sententiam docet Hieronymus. Verum his objicit quispiam ultima illa Christi verba: *Sic sermo vester est, est, non non: quod autem abundantius his est, à malo est.* Fatetur quidem à malo esse iuramentum, non autem malum esse. Neque Christus dixit malum esse, sed à malo esse: à malo, inquam, illius cui juratur, & propter quem juratur. Malitia enim illius cui juratur, est in causa ut alius juret. Nam si audirens præstitisset fidem verbis loquentis, non esset opus ut loquens sua verba iuramento firmaret: à malo ergo illius cui juratur, provenit ut aliquid abundantius dicatur quam, est, est, non non. Et hanc expositionem præbet August. illo loco Evangelii in libro de mendacio, cap. 20. Aliter etiam potest responderi, Christum illis verbis non prohibere absolute iuramentum, sed jurandi facilitatem, ne ex facilitate ad consuetudinem, & ex consuetudine in perjurium veniretur. Unde Ecclesiasticus cap. 23. ait: *Jurationi ne astuescat os tuum.* Et iterum: *Sicut autem servus flagellatus assidue à livore non minuitur, sic omnis jurans ac negotians à peccato non purgabitur.* Hanc expositionem etiam præbet Augustinus loco proxime citato. Hanc & superiorem expositionem reddit uox contextu beatus Chromatius Papa in quodam libello insigni quem fecit super quintum & sextum caput Matthæi. Verba illius ita habent: *Primum enim voluit à nobis, & usum jurationis, & consuetudinem humani erroris auferre, ne unusquisque nostrum per hæc elementa jurando, aut creaturam in honore divinæ venerationis haberet, aut idcirco impunitatem perjurii habere se crederet, si per mundi elementa juraret, cum scriptum sit: (Psalm. 14.) *Nec juravi proximo suo in dolium.* Hæc Chromatius. Et parum infra exponens reliqua,***

dicit per illa verba: *Quod autem abundantius est, debere intelligi mendaciam, & illud dicit esse abundantius quam, est, est, non non, id est, quam veritas, & illud dicit esse à malo, id est, à demone, qui mendax est, & pater mendacii. Ex quibus verbis patet juxta Chromatium, Christum per illa verba solum prohibuisse perjurium, & usum jurandi. Potest etiam dici illam Christi prohibitionem non esse numerandam inter præcepta, sed inter consilia, & illam ad solos perfectos pertinere. Quod ex eo colligi potest, quod in illo loco Christus perfectum Christianismum depingens, multa ibidem recenset quæ nemo sanæ mentis dubitat esse consilia, non præcepta, quale est illud quod continuo adjungit: *Ego autem dico vobis non peccare malo.* Et hoc modo illum locum Evangelii interpretantur recentiores Theologi, quos scholasticos vocant. Verum non hi soli, ut aliqui putant. Nam beatus Bernardus sermone 65. super Cantica, invehens contra quosdam hæreticos non esse licitum iuramentum, esse tamen illis licitum pejerare, ne secreta suæ sectæ aliis scirentur, sic ait: *Patet vos & superstitiose observare de iuramento, & flagitiose presumere de perjurio. O perversitatem! Quod ad cautelam consultum est, videlicet non jurare, hoc isti mandati vice tam contentiose observant: & quod immo iure sancitum est, non pejerandum scilicet, hoc tamquam indifferens pro voluntate dii pensant.* Hæc Bernardus. Hunc autem non possunt dicere scholasticum. Christianus Druthmarus in expositione super Matthæum, idem sentit. Sic enim ait: *Ne Judæi per idolorum nomina jurarent, permittit eis Dominus jurare per nomen suum. Nec nobis etiam inhihet, sed perfectionem nos docuit, quod ea fides sit habenda inter Christianos, ut non sit necesse testem nomen Domini interponere. Perjurium & illis & nobis prohibitum est. Hæc Christianus Druthmarus: quem non possunt etiam dicere scholasticum, cum nihil minus fateatur neque trecentenarium (ut Lutherus & ejus sequaces facere solent) quoniam ante septingentos annos fuit, si Joanni Trithemio credere volumus. Et Beda exponens illud Jacobi cap. 5. *Ante omnia fratres mei nolite jurare, &c.* dicit ibidem prohiberi consuetudinem jurandi, ne ex ea deveniatur in perjurium. Sic enim ait: *Idco (inquit Jacobus) vos à jurationis culpa compesco, ne frequenter vera jurando, aliquando etiam in perjurium decidatis, sed eo longius à pejerandi vitio stetis, quo nec verum pejerare nisi proxima necessitate velitis.* Hæc Beda. Et Rupertus Tuicentis vir doctrina & sanctitate illustris, libro quinto de glorificatione hominis Christi, distinguit illum Matthæi locum de iuramento, hoc pacto, dicens quod non jurare omnino, sit consilium: non jurare autem per cælum & terram, &c. sit præceptum, ita ut si jurandum sit ex necessitate aliqua, tunc juretur per Deum, & non per aliquam aliam rem. Ecce ergo Evangelii locum sufficienter discussum, quem ostendimus nostræ sententiæ minime repugnare. Verum hi forte objicient nobis Hieronymum & Theophylactum, qui sentire videntur non licere Christiano viro jurare. Nos autem objicimus contra, Augustinum, Chromatium, Christianum Druthmarum, Bernardum, Bedam, Rupertum. Parum dixi, immo totius Ecclesiæ definitionem, cujus auctoritas tanta est, ut mille præset Hieronymi & Theophylactis, etiam hi clarissimi viri fuerint, sanctitate perinde ac doctrina illustres.**

Alia hæresis est quæ cum præfata velut ex diametro pugnat. Nam hæc sic admittit iuramentum, ut etiam perju-

rum licere dicat. Hunc errorem tribuit Prisciliano beatus Augustinus in libro de hæresibus. Priscillianitæ enim (ut ibidem refert Augustinus) docebant discipulos suos, ut juramento interrogati & requisiti nihil unquam revelarent de illorum doctrina, & ad illius doctrinæ occultationem dicebant esse licitum perjurium: quapropter hanc semper in ore versabant sententiam: Jura, perjura, secretum prodere noli. Hunc eundem errorem tenuerunt quidam hæretici tempore beati Bernardi, de quibus ille mentionem facit sermone 65. & sermone 66. super Cantica; & dicit illos vocari Apostolorum. Eandem errorem (ut catalogus hæreticorum refert) rotati sunt impii Flagellantes. Hic error manifeste convincitur per id quod Dominus in Levitico cap. 19. ait: *Non pejerabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Qui enim pejerat, nomen Dei polluit, quia Deum adfert in testem mendacii. Quid autem magis pollutum aut turpe esse potest, quam mendacio favere? Præterea; Sapiens recensens peccata hominum potissimum gentilium, inter illa etiam ponit perjurium, dicens: (*Sap. 14.*) *Omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, & furtio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & perjurium, &c.* Et beatus Paulus dicens iusto non esse legem impositam, sed impiis & peccatoribus, & sceleratis, poëta subdit: (*1. Tim. 1.*) *& mendacibus & perjuriis.* Ex quo aperte colligitur perjurium esse lege divina prohibitum. Deinde causa ipsa propter quam dicunt licere perjurium, pessima est. Dicunt enim ideo esse licitum pejerare, ut videlicet non reveleat aliis eorum doctrina. Tunc percontari illos oportet, an doctrina sua sit Evangelio conformis, an illi contraria? Si est Evangelio contraria, non sunt ergo veri Christiani qui illam docent. Si est Evangelio conformis, cur ergo illam occultant? Cur apud seipso solos illam recondunt? Christus namque ait: (*Matth. 10.*) *Quod dico in tenebris, dicite in lumine: & quod in auro audistis, prædicate super tecta.* Et cum Evangelii prædicationem discipulis suis commendat, ait: (*Matth. ult.*) *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturae.*

FINIS LIBRI OCTAVI



Non solis Priscillianitæ aut solis Apostolicis, aut solis sese Flagellantibus, sed omni creaturæ: Non enim vult suam legem solis Judæis revelari, ut in sola Judæa sit notus; sed vult esse notus toti mundo. Ideo vult suum Evangelium esse omnibus apertum, quia vult omnes nos in agnitionem veritatis pervenire. Ideo Apostolus ait: (*1. Cor. 4.*) *Si opertum est Evangelium meum, in his qui percutiunt est opertum.* Pereant ergo Priscillianitæ & Apostolici, qui Evangelium occultare volunt. Et alibi idem Apostolus ait: (*Roman. 10.*) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ut autem quisque salutem animæ suæ acquirat, oportet eum ita ore confiteri, quemadmodum credit corde. Adversus tam apertam hæresim non est opus plura adferre.

**B**eatu Augustinus in libro de hæresibus capite 82. asserit Jovinianum sensitse eum qui semel per lavacrum regenerationis fuerit justificatus, non posse amplius peccare. Et beatus Hieronymus libro secundo adversus Jovinianum hoc idem illi impingit. Hunc eundem errorem docuisse Pelagium testatur etiam Augustinus in eodem libro de hæresibus capite 87. Adversus hunc errorem jam supra in titulo de gratia, hæretici secunda disputavimus; quapropter non est opus de hac re amplius differere.

Alius est error Lutheri, dicens iustum in omni bono opere peccare. Verum de hoc errore infra in titulo de operibus; & in titulo de peccato longius differemus. Ad illum ergo locum mitimus lectorem.

Tertia hæresis ad hunc locum spectans est, quæ asserit omnem iustum esse certum suæ justificationis, & esse ex fide Catholica obligatum ad habendum hanc certitudinem, ita ut si de illa dubitet, non possit vere dici fidelis Christianus. Hujus hæresis primus inventor est Lutherus, sed adversus hanc hæresim nihil nunc dicere oportet, quia fatis contra illam disputavimus in titulo de Gratia, hæresi tertia.

F. ALFONSI DE CASTRO MINORITÆ  
ZAMOREN. MINORITÆ.  
ADVERSUS HÆRESES.  
LIBER NONUS.  
LABOR.



**V**ERE olim in Syria monachi dicentes nullum manuum laborem esse monachis licitum, etiam sustentandæ vitæ causa. In hoc enim fuit esse monachos profitebantur, ut ab omni labore manus vacantes, orationi semper insisterent. Hujus hæresis auctores vocantur lingua Syria Psalliani: fuit enim eos nominat Augustinus in libro de hæresibus cap. 57. Verum historia tripartita lib. 7. cap. 11. de istis hæreticis differens, eos appellat Messalianos, & dicit eos vocari Græce *enchitæ*, hoc est, orantes, eo quod semper orandum esse dicebant. Vocantur etiam ibidem *enthotista*, id est, sacrificantes. Eundem errorem rotati sunt alii monachorum postea in Africa, præsertim apud Carthaginem, ut patet ex Augustino in libro de opere monachorum. Nam in principio illius operis testatur se illum librum scribere ad instantiam Aurelii tunc Carthaginensis Episcopi pro expugnatione hujus erroris, qui tunc in Carthagine oriebatur. Hunc errorem jam diu sepultum ab inferis suscitarent Vvaldenses, dicentes virum perfectum non debere manibus laborare. Hoc enim Vvaldensibus impingit Guido in sua summa de hæresibus. Verum Aneas Sylvius lib. de origine Bohemorum cap. 35. Vvaldensium errores recensens, hujus erroris non meminit. Hic error aperte convincitur ex eo quod Paulus Apostolus qui merito inter perfectos numerari debet, propriis manibus laboravit. Nam quamvis posset non laborare, & sine labore vivere de Evangelio, quoniam ii quibus prædicabat, & tenebantur eum alere: ipse tamen ut illos, quibus Evangelium prædicabat, non gravaret, voluit propriis manibus laborare, ut ex suo labore victum acquireret. Sic enim ipse in priore epistola ad Corinthios cap. 9. ait: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altario deserviunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum.* Si Paulus, qui poterat de Evangelio vivere, laborat, quanto magis monachi, qui non prædicant, tenentur manibus laborare? Sed hos ipsos monachos ociosos aperte reprehendit Paulus in secunda ad Thelalonienenses epistola cap. 3. dicens: *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non in quiete sumus inter vos, neque gratis panem manducabimus ab aliquo, sed in labore & fatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi non haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabimus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim quosdam ambulantes inter vos inordinate, nihil operantes, sed curiosæ agentes.*

His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut con silentio operantes, suum panem manducet. Et in Epistola ad Ephesios cap. 4. iterum ait: *Qui surabatur, jam non furetur, magis autem labore operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Et in Actibus Apostolorum cap. 20. cum a Mileto mitens Ephesum, vocasset inde presbyteros Ecclesiæ, ait illis: *Argentum & aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ea que mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus iste. Omnia ostendi vobis: quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatus est magis dare quam accipere. Ecce Apostolum Paulum propriis manibus laborantem, qui alios ut etiam manibus laborent, sæpissime hortatus est. Præterea omnes sancti viri qui modum aliquem vivendi in monasterio instituerunt, monachis suis præceperant, ut manibus laborantes, otium animæ inimicum vitarent. Nam de monachis Ægyptiis, loquens B. Hieronymus in epist. ad Rusticum monachum ita ait: *Ægyptiorum monasteria, hunc habent morem, ut nullum absque labore & opere suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vegetur perniciosis cogitationibus, & instar fornicantis Hierusalem omni transeunt divaricet pedes suos.* Hæc Hieronymus. Hoc ipsum B. Basilus docet monachos, qui in regula monachorum capite 67. inducit monachos talem proponentes illi quæstionem, sic dicens: *Si ergo neque solitudinem, habere oportet de necessariis usibus ad vitam, & aliud præceptum est Domini dicens: (Joan. 5.) Operamini non cibum qui perit: nonne superfluum est manibus operari? Cui quæstioni respondens Basilus, ait: Ipse Dominus in Evangelio præceptum suum explicavit: (Matth. 6.) Nam ibi ipse qui dixit non oportere quæri aliud ad vitam, cum dicit: (Joan. 4.) Nolite quærare, quid manducetis, aut quid bibatis, hæc enim omnia gentes inquirunt, addidit: *Quærite autem regnum Dei, & justitiam ejus.* Et quomodo oporteat quæri, indicavit. Cum enim dixisset: *Nolite operari cibum qui perit, addidit, sed eum qui permanet in vitam æternam.* Et hoc quid esset, ostendit in alio loco, dicens: *Mous cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me patris. Voluntas autem patris est esurientibus cibum dare, sitientibus potum, nudos cooperire, & cætera hujuscemodi.* Tum deinde necessarium est & Apostolum imitari dicentem: (*Act. 20.*) *Omnia ostendi vobis, quia laborantes oportet suscipere infirmos.* Et cum iterum docet: (*Ephes. 4.*) *Magis autem labore uniusquisque manibus suis, operans quod bonum est, ut possit impartiri necessitatem patientibus.* Cum**